

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

VII. De periculo praelatorum.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

hæc omnia essent cœleste regnum, ut tu gratiam invenires? Respondit: Non; ad hoc nunquam potero inclinari. Et dixi: O quomodo tam infelix es, quod coram Deo non erubescis? Respondit: Qui boni aliquid habet in se, non est omnino malum; qui vero peccat, perdit verecundiam; qui si erubesceret non peccaret; præsumptuosus ego sum, et audens, stulte sicut musca advolans et inquietans semper, et nulli parcens. Cæterum qui se tuetur virtutibus, permanet illæsus, et qui Deo stat firmus triumphat de omnibus molestiis invictus.

VII. DE PERICULO PRÆLATORUM.

VI. 1.

GRANDIS timor consistit in *Ecclesiastica* potestate: cui enim nomen prælationis imponitur, in eo tentationis periculo locus datur. Age ergo, *o homo*, et cum multa humilitate prosternere et ad orationem confuge, et in Domino consolare; renova cor tuum in Dei charitate, ut omnem tibi subditum ames et respicias in sua necessitate. Esto cum subditis [et Fratribus] amanter jucundus, et benigne serius, et misericors in omnibus laboribus super eos. Dulcibus verbis ad [audacter] prædicandum eos dirige, et ad confessiones utiliter audiendas hortare, quia a Deo ad hoc missi sunt in mundum ut liberetur, et adjuvent peccatores, sicut Christus [omnem] mundum salvavit de cœlo veniens [in hujus sæculi lutum], *ut nos ad sublimia elevaret*. Hæc loquere cum [profundissima] humilitate tibi subditis, mundo corde dicens: Eia, dilecte, ego [omni bono] indignus, servus tuus sum [in omni servitio quod præstare possum, et non dominus tuus] licet tibi præsum. et in charitate mitto te; laboribus tuis quidem [heu!] compatio; quam Deus tibi præparavit congratulor dignitati; nunc igitur mitto te ut cum Jesu perditas requiras oves, pro quibus [ex amore] pertulit passionem. Charitas Dei conducat te in viis et laboribus sanctis tuis. Desideria, orationes cordis mei et lacrymas mitto tecum, ut te Deus sanctum et plenum charitate reducat.

DE HOSPITIBUS.

[I]TA debes tu omnes tuos fratres consolari cum exeunt; cum de via redierint, lætificare stude eos, et [præcedens in hospitium] ordina discipulis Christi necessaria et commoda, quantum præuales, secundum Dei largitatem. Pedes eorum lava, et humiliter subdere, licet eorum prælatus sis [vel prælata]. Cum hospitibus non diu maneat, sed conventum respicias ordinate. Hospites non diu vigilent, sed *ad orationem se conferant et quietem.*

Ad infirmos quotidie ingredi, et eos dictis et factis pie fove, et [terrenis rebus largiter] refice; Deus enim dives dabit quod fuerit necesse. Stude semper circa infirmos munditiam ordinare, et eis [in Deo] dulciter arridere. Secretas miseras debes ab eis tollere, et fideliter [amanterque] inquirere de eorum occulta infirmitate, eisque paterne assistere; sic Deus dulcedinem suam effundet in te.

Coquinam intrabis et cavebis ne parcitas tua [in conventu Fratibus necessaria recuset], et coqui desidia laudem divinam [in choro] furentur; clericus enim famelicus jucunde non cantat, et homo esuriens studiis intendere non prævalet, et sic propter hæc vilia Deo subtrahitur laus et gloria.

In Capitulo, justitiam dilige, in Deo suavi animo et secundum culpæ meritum pœnas inflige. Cave diligenter ne contra voluntatem [Fratrum aut voluntatem] Conventus tuam auctoritatem exerceas vel extendas, [quia inde magna divisio exoritur]. Elatas cogitationes omnino evita, quæ religiosa corda frequenter tentant, dicentes: Tu prælatus istorum est, quod volueris faceretibi licet. Non *sic loqueris in corde tuo*; hinc enim [sancta Dei] pax scinditur, et turbatur. Cum mansuetudine morum et verborum investiga placitum eorum, et secundum hoc dirige vias tuas.